3239 No 13

Lane Medical Library

DE PERTUSSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE IV. M. JUNII A. MDCCCLX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ALBERTUS SPIRO

BORUSSUS SAXONUM.

OPPONENTIBUS:

L. HERRMANN, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

L. DAVID, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

J. LIEBINGER, PHIL. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

Library

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

UNICE DE SE MERITIS

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE PERTUSSI.

I. DE MORBI NATURA.

De pertussi scribere quum nobis propositum sit, priusquam materiam ipsam aggredi possumus, morbus ipse quidnam sit, quaerendum est; neque enim aut symptomata aut diagnosis aut therapia ullam firmitatem habere videntur, nisi quam accuratissime intellexerimus, quae sint gravia morbi momenta, quaeque leviora, neque ad rem ipsam pertinentia.

Est autem haec quaestio saepissime tractata, nec sane nunc valde dubia; itaque brevissime exponam, quae sint argumenta contra neurosis existentiam in pertussi afferenda. Hoc enim est ambiguum, utrum neurosis nervi vagi, an simplex bronchorum catarrhus sit tussis convulsiva. Ac primum quidem negari nequit, ex ipsis morbi paroxysmis facillime concludi posse, agi de neurosi, quippe qui non careant typico quodam decursu et accedant ad culminationem quandam, unde reversi ad majorem levitatem aegrotum relinquant perturbatum, sed omni malo et dolore liberum. Ea autem neurosium est

natura, ut intermissiones faciant, quae sunt doloribus et molestiis fere liberae; neque nisi in ipso paroxysmo vexantur ii, quorum vita hoc supplicio quasi dilaceratur, quo spectat exempli gratia ille „tic douloureux," qui nominatur. Nostrum autem morbum accuratius explorantes gravissima invenimus argumenta contra neurosin pugnantia. Quae quidem fere haec sunt:

1. Incipit hic morbus semper a simplice catarrho, ut in eo complicatio morbi reperiri jam non possit, sed ipso hoc principatu veri primique mali adipiscatur catarrhus locum. Sunt sane, qui dicant, etiam alia mala cum hacce neurosi complicata esse posse, uti glandularum bronchialium aegrotationem; quid est autem, unde colligi possit, hunc morbum non eodem modo, quo ipsae tussis convulsiones, esse secundarium, qui simplicem sequatur catarrhum; neque aliud esse, quam propagationem inflammationis membranae mucosae in regiones vicinas? Nonne vero nervus vagus potest, si morbo afficitur, secretionis quandam perversitatem adducere atque sic catarrhum provocare? Cujus rei exemplum videmus, quod ille nervus irritatus efficit, ut fluidum serosum, sanguineum, spumosum compleat tracheam pulmonesque redundent sanguine paene nigro. Qua quidem ratione non intelligitur, quamobrem catarrhus prius semper ab aegroto sentiatur et a medico curari possit, quam ulla nervi affectio cognoscatur.

An ipsum malum latere putandum est, neque cognosci posse nisi complicatione sua? Accedit, quod morbus, ut a catarrho incipit, ita omissis jam sub finem decursus omnibus aliis symptomatibus catarrhi etiam nunc praebet signa notissima. Rariores enim fiunt tumque deficinnt paroxysmi, quum sputa, ut prius, ab aegris evacuantur.

2. Neque vero morbi decursus neurosis hypothesin affirmare debet, qui typicus quantumvis videatur, tamen ne veras quidem facit intermissiones. Nunquam fere demonstratum aut observatum est, morbum contentum fuisse una ex notis illis morborum typicorum formis (ut typo quotidiano etc.); neque unquam accuratius perscrutantem res quaepiam fallere potest, quae paroxysmos excitat singulos, ut non sponte et typice existant, sed certa quadam caussa commoveantur. Etenim etiamtum, quando infantes putamus sine ulla caussa tussi vexari, in bronchis nimiam sputorum mucique copiam videbimus, quae nervum vagum irritat tussimque excitat.

3. Aetiologiam autem si spectamus, morbum plerumque epidemium nasci docemur, quae caussa est neurosium multo rarissima. Miasmate a singulis hominibus percepto contagium existit, ut summa celeritate plurimi homines aegrescant, neque vero hoc disseminationis genus pro neurosi testis esse debet, imo idem a neurosi maxime abhorret. Qui vero semel hoc morbo affecti sunt, immunitatem quandam

alterius invasionis nanciscuntur, quum neuroses (praesertim sensibilitatis) identidem regrediuntur hominesque, quo saepius eos aggressae sunt, eo aptiores relinquunt ad novum recidivum. Id quidem, quod morbus saepissime infantes invadit, argumentum esse possit pro neurosi, quae in imbecillos et debiles libentissime irruit: at quaenam est hujus facti caussa? Quod infantium nervi facillime irritantur atque praecipue ad effectus reflexorios apti sunt. Atque eandem ob caussam infantes quoque procliviores sunt ad pertussim, etiamsi non est neurosis: quoniam suuma irritabilitate omnium nervorum opus est, ut simplex catarrhus tales provocet paroxysmos tantasque efficiat actiones reflexorias. Existere autem hanc vim majorem vel inde intelliges, quod non ita raro paroxysmi vomitu finiuntur, ut nervum vagum ad nimiam agendi celeritatem dispositum esse pateat.

4. Anatomia porro pathologica ostendit tracheam, laryngem, bronchos catarrhi signis mutata, nervum vagum intactum, neque tamen neurilemma inflammatum aut compressum. Plurimarum sectionum, quae sunt institutae, paucissimae tantum a singulis viris id demonstrasse dicuntur, quod voluerunt, nempe nervum vagum aut compressum aut cicatrice irritatum aut glandulas bronchiales inflammatas. In sectionibus igitur caussa paroxysmorum alia, quam telae mucosae inflammatio non invenitur. Huc accedit, quod medulla spinalis nunquam commutata aut laesa erat.

5. Sputa sunt catarrhalia, primo cruda, deinde albide flava, globosa, cocta; neque vero illis, qui acrem quandam, huic morbo propriam materiam, quae irritamentum sit paroxysmorum, in sputis reperire voluerunt, propositum successit.

6. Quoniam denique non ita raro nobis morbos dignoscere licet ex ipsis remediis, quae morbos sanasse dicuntur, naturam hujus morbi ex successu eorum remediorum examinemus, quae hic adhiberi solent. Remedia nervina videmus nullum fere unquam habere proventum, quae caussa sane levissima est, quia illa vel in neurosibus creberrime nihil valent et alia remedia anticatarrhalia non plus in pertussi proficiunt.

Quae quum ita sint, tussim non esse neurosin apparet, sed bronchorum catarrhum, qui ex miasmate oritur, contagio propagatur et in personis debilibus et propria quadam irritabilitate praeditis morborumque (velut morbillorum etc.) vi exhaustis nervum vagum ad adauctam actionem morbosam impellere potest atque pro gravitate organorum, ubi hic nervus dominatur, plurima symptomata periculosa profert. At tam parvo, inquiunt, irritamento nervus vagus ad tantos effectus commoveri non potest. Potest vero, saepissime enim videmus in illo casu, quem nos „sich verschlucken“ appellamus, prototypum quasi pertussis, quae composita est e plurimis ejusdem generis paroxysmis. Nonne hic etiam

vi non adeo vehementi motus nascuntur reflexorii, quibus haud raro summa similitudo est cum ipsius tussis convulsivae incursibus. Atqui debilibus in hominibus reflectendi vis major est quam in sanis, nam si pueri crus manu tua identidem tangis, cremasterem videbis toties adscendentem, neque contra tanti effectus probabilitatem quidquam monendum est.

II. SYMPTOMATOLOGIA.

Decurrit morbus stadiis tribus, stadio catarrhali, stadio convulsivo, stadio decrementi.

1. Stadium catarrhale incipit a notissimis illis catarrhi prodromis et signis, quae per totum morbum permanent, ut hoc stadium non tam excellat catarrhi symptomatibus quam eo, quod nullum aliud adest malum. Creberrimi oscitationes sternutationesque, tum omnium etiam artuum summa delassatio, tussis denique frequens, brevis, sicca sunt phaenomena prima; simul sanguine injicitur membrana oculi conjunctiva naresque solito uberiorem secernunt mucum. Sensim nobis cognoscere licet, hic non agi de simplice catarrho, namque uberius fit secretum, quod ex bronchis per tussim vehementem emovetur, atque majore tenacitate et cohaerentia excellit; unde medico, si pertussis omnino divulgata est, diagnosin constituere licet: sputum enim est pathognosticum. Neque tamen deest febris, interdum intensa, quae vesperi exacer-

batur et morbo in stadium alterum transeunte deminuitur.

2. Alterum stadium est convulsivum, quo propriam sibi nactum est malum formam. Etiamnunc secernitur peculiare illud sputum crudum, quo nervus vagus per majorem membranae mucosae inflammationem sensibilior redditur atque ita commovetur, ut tussis paroxysmi existant convulsivi ante sputi ejectionem. Nec periodicae censendae sunt hae accessiones, sed occasionibus quidusdam adducuntur: omnis enim animi commotio tam tristis quam laeta, risus et lacrymae, atque aliorum infantium prope accubantium tussis gignere possunt morbi insultum, quia totius systematis nervosi irritatio maxime eam nervorum regionem commovet, quae inflammatione vicina ad actionem abnormem aptissima facta est. Frequentissime etiam paroxysmus nulla perspicua caussa externa progignitur, sed accuratius inquirentem medicum vera non fallit caussa; sunt scilicet bronchi muco admodum repleti irritantque hoc modo quam maxime directe nervum vagum. Unde fit, ut noctu persaepe tussis remotis omnibus aliis momentis augeatur, nam quum interdiu infans necessitatem muci expectorandi sentiat, noctu summa pituitae copia ad hunc finem opus est. Ipse vero impetus duabus compositus est partibus, quarum prima est inspiratio commutata, quoniam glottis irritatione in modum convulsivum contrahitur atque aura lente

hausta clamore quodam stridulo per laryngem permeat. Est autem haec inspiratio acute sonans, profunda, protracta morbo huic pathognostica. Tum exspiratio oritur crebra, vehemens, corpus totum concutiens, cujus est sputum ejaculari. Nec aliud in utraque actione videndum est nisi motus reflexorius nervi vagi, qui irritatus primum ad glottidis firmam conclusionem tendit, quo quum celeriter inspirandi necessitas afferatur, lenta fit et protracta inspiratio. Tum vero pulmones referti sunt acido carbonico, neque tamen secreti ipsius copia imminuta est, quare glottidis contractio transgreditur ad bronchos tussisque eo fit acrior et crebrior, quo major est muci copia removenda, quo celerius alius alium insequitur paroxysmum, quo vehementius denique nervus vagus tali modo irritatus est. Quorum impetuum unusquisque ab una ad decem minutas protrahi potest finiturque summa defatigatione ac doloribus in pectore sentiendis, nec raro somno. Annunciari solent praecedente titillationis tracheae vel insignis anxietatis sensu, quo ad fulcimen, quod manibus comprehendant atque retineant, quaerendum infantes impelluntur. Sub finem cum pituita haud raro ipsa ventriculi contenta ejiciuntur; facies speciem recipit rubram aut cyanoticam, quia venae thorace compresso defluere non possunt in cor, unde nescio an in insultu artuum frigus, pulsuum inconstantia, denique intermissiones repetenda sint. Ne-

que tamen crebro fit, ut in apoplexiam aut animi deliquium transgrediatur paroxysmus.

Quibus exacerbationibus omissis non majores pertussis sunt molestiae et dolores, quum cujusvis alius catarrhi: infantes enim ad ludos revertuntur, ut plerumque a sanis non distinguantur atque hypothesis neurosis, cui intervalla libera propria sunt, probabilitatem consequi videatur. Sed rationem habendam esse arbitror indolis infantilis. Bona nimirum ista intervallorum valetudo e summo potius paroxysmorum ab intervallis discrimine, quam ex vera ab omni morbo in intervallis immunitate evadit, vel ut brevi dicam, haec valetudo non est per se bona, sed relative. Infantes igitur, si nullis vexarentur exacerbationibus soloque laborarent catarrho, nescio an essent morosi morbique haberent sensum; nunc autem graviore malo remoto ex indole sua ac natura malum levius obliviscuntur. Neque tamen omnes infantes tam sunt in intervallis liberi, neque unquam signa catarrhi plane evanescunt, ut semper audias pectoris bronchorumque strepitum rhonchosque sibilantes videasque perstantem quandam dyspnoeam. Permanet quoque levior per totum morbum cyanosis, cujus sunt caussae tres: nempe *a*) uti supra vidimus, comprimuntur exspiratione pulmones cunctaque intestina pectoralia, ut venae turgeant faciales et occipitales (cyanosis acuta).

b) Glottidis contractione impeditur, quominus aci-

dum carbonicum dimittatur, unde corpus repletur sanguisque hac aura abundat.

c) Bronchorum denique praepedita permeabilitate non raro pars pulmonum desinit inspirare atelectasisque quaedam existit, quo collapsu vel nonnullarum vel plurimarum pulmonis vesicularum cyanosis effici atque augeri potest.

Alia vix invenimus intervallorum phaenomena; nec de morbi statu auscultatione et percussione docemur nisi de quibusdam rarissimis complicationibus. Itaque invasiones diu cum intermissionibus miscentur, febri in infirmis modo infantibus sub vesperum accedente ac saepissime complicationem appropinquantem testante. Finitur autem faustis in casibus hoc stadium post hebdomades quatuor, nec ultra octavam protrahitur. Sensim morbus in stadium tertium abit.

3. Stadio tertio nomen est „decrementi." Rursus recedit morbus in fines catarrhi, qui, quum inflammatio mucosae mitigata sit, non jam tantopere nervos afficit. Quae expectorantur sputa, cocta sunt atque minoribus cum molestiis ejiciuntur impetuumque fracta est vehementia. Fiunt ii rariores vacantque exacerbationes vomitu atque inspiratione illa asinorum mugitum aequiparante, quantumvis convulsivae maneant exspirationes; cessant epistaxes, minuuntur symptomata comitantia rectaque adhibita cura morbus descendit ad simplicis catarrhi formam. Namque restat major irritabilitas, quam est infantium sano-

rum; semper etiamnunc levibus caussis producuntur paroxysmi, qui adauctam declarant actionem reflexoriam, neque recidiva deficiunt. Attamen finis communis nunc est convalescentia, quamvis commutatus sit infantium habitus, ut ex validis vegetisque evaserint pallidi et debiles.

Hoc decrementi stadium decem vel viginti dies durare solet eoque prius incipit, quo major meliorque erat cura infantium, quoque aptior medici ordinatio, ut melioribus in casibus non ultra hebdomades sex a morbi initio sanatio desideretur. Variatur autem illis malis, quae corpus ipso morbo contraxit, neque raro herniae aliaque ejusmodi vitia restant. Malorum, quae pertussim insequuntur, haecce sunt timenda:

1. Emphysema pulmonis. Plurimis enim profundisque exspirationibus, quae quoque tussis paroxysmo efficiuntur, profundae etiam inspirationes necessariae fiunt, quae vesiculas pulmonales non possunt non dilatare; inflammatione deinde catarrhali aeri effluenti maximum positum est impedimentum mucoque in trachea exstante fit, ut is saepissime atque diutissime alveolis retineatur. Quae quidem dilatatio alveolorum facillime emphysema facit.

2. Atelectasis. Eodem, quod obvium est exspirationi, momento inspiratio prohiberi potest, uti supra vidimus. Inde, si addis glottidis contractionem et quam facile catarrhus ad ipsos alveolos transgredi eosque muco comprimere et muneri suo

impares reddere possit, pulmonis pars ad inspirationem agere cessabit et ad illum veniet statum, quem atelectasin vocant. Minatur autem mors his in casibus, neque alia invenimus symptomata nisi inspirationem non sufficientem cyanosinque, quae hinc proficiscitur; rarissime tantum percussione de pulmonis compressione docebimur.

3. Tuberculosis. Haec aut nascitur ex hoc morbo, aut jam dudum latens ad celerem decursum adigitur, ac nescio an creberrima sit aegrotatio secundaria. Qui morbus maxime suspicandus est, si lente sanatur pertussis infantesque vel optimo adhibito victu priorem valetudinem recuperare nequeunt.

4. Medullae spinalis paralysis etiam morbo interdum succedere traditur, ipsam cyphosin provocans, quae pulmones impedit, quominus libere fungantur.

Quae quidem mala aperte ostendunt, pertussis quam sit periculosa quamque attente curanda, ut corpus ad plenam redeat sanitatem. Rarissime autem morbus ipse morte finitur, quae non pertussi, sed complicationibus affertur. Reperiuntur enim complicationes haece:

1. Bronchitis et pneumonia. Si febris, postquam remissionem fecit, denuo crescere incipit, pulsus fit frequentior et durus, inspiratio celerior, neque satis profunda, sputa autem sunt rariora atque adeo tincta cruore: tum hanc complicationem suspica-

bimur. Percussione vero plurimis in casibus constituere poteris diagnosin morbi complicati, qua de caussa pectoris accuratissima inspectio et disquisitio nunquam videtur negligenda esse.

2. Meningitis et encephalitis sunt rariores, quam antehac putabantur. Infantes morosi existunt, sentiunt dolores capitis, neque possunt caput movere aut erigere. Alvus est adstricta, pulsus acceleratus, tussis rarior; sopor denique, coma, oculorum rotatio, clamores in somno, convulsiones retrudunt vera pertussis phaenomena et efficiunt, ut de natura morbi non dubitandum sit.

3. Febris remittens gastrica singularum epidemiarum propria et propemodum communis complicatio est morbumque certo includere solet decursu typico. Turbantur defaecationes, nam modo diarrhoea, modo obstipatio alvi observatur; sapor per cavum oris diffusus est ingratus, lingua ad radicem tegmine albo crassoque obducta; sitis magna, pulsus frequens. Febris ipsa frigoribus est comitata; malum haud periculosius fit complicatione.

4. Pleuritis et pericarditis rarissime solum ad pertussim accedunt, rarius etiam angina membranacea. Quibusdam autem in epidemiis hi morbi propriae fuisse videntur complicationes; nec vero diagnosis difficilis esse potest nisi in angina. Quando intermissiones non sunt liberae, dyspnoea cyanosisque solito magis crescunt ac stridor in inspiratione

audiendus non in paroxysmis solum percipitur, tum de angina membranacea cogitabimus.

Ceterum ne unus quidem ex his morbis saepe cum pertussi complicatus esse solet.

III. ANATOMIA PATHOLOGICA.

In autopsiis infantium pertussi affectorum, quae eo rarius instituuntur, quo minus mortis periculum morbus ipse affert, summa semper cum constantia signa cernimus catarrho propria; est enim membrana mucosa laryngis bronchorumque inflammata et injecta atque etiam intumescere solet sero in telam transcendente. Contra ea omnes labores, constantem nervi vagi et suspicioni alicui certam basim praebentem commutationem in cadavere reperire, adhuc videntur frusta fuisse. Unde fit, ut vel iis casibus, in quibus talis commutatio reperta est, fides non habenda sit: etenim accidere potuit, ut paroxysmi pertussis simillimi in vita pro tussi haberentur, quum vera adesset neurosis; aut ut vetus quoddam neurilemmatis malum caussa putaretur ejus mali, quod recenti catarrho genitum erat. Catarrho enim semper praesente ne neurilemma quidem nervi vagi unquam tactum invenimus; glandulae etiam bronchiales rarissime tument et medulla oblongata ac spinalis, quae neurosis hypothesi basis quodammodo foret, est immutata. Quas praeterea cadavera afferunt immutationes, accedentia sunt signa, ex

morbis pertussim vel sequentibus vel comitantibus oriunda. Pneumoniae phaenomena sunt creberrima, quae, ut supra vidimus, accedere potest: singulae pulmonis partes sero sunt refertae, densiores redditae, volumine auctae bronchiaque patent.

Atelectasis si conformata est, parvos videmus focos coeruleos in pulmone, depressos, aere plane carentes; quos si cultro aperueris, crassam conspicies purulentamque materiam illis contineri, quum regiones circumjacentes emphysematis adspectum praebent. Emphysema ipsum cognoscitur e summa loborum alterutrius pulmonis dilatatione, qui omissa elasticitate et volubilitate non collabitur, sed solito plures et latiores habet vesiculas. Tuberculosis denique residua in cadaveribus non minus sunt nota, quam meningitidis, pericarditidis febrisque gastricae.

IV. AETIOLOGIA.

Caussas morbi si cognoscere studemus, bene distinguenda sunt ea momenta, quae dispositionem generalem afferunt ad hoc malum contrahendum atque illae occasiones, quibus malum propagatur.

Aetas infantilis maxime subjecta est hujus morbi periculo, ita quidem, ut usque ad annum septimum plurimae, pauciores inde usque ad annum quartum decimum, ultra hunc annum paucissimae usu veniant aegrotationes. Mulieres quoque dispositionem quandam ad hunc morbum habent, quum viri vix

unquam in eum incidunt. Ex infantibus autem puellae feruntur facilius in hunc morbum incidere quam pueri, sicut teneri imbecillique facilius quam validi et qui modo alium morbum superarunt, facilius quam omni morbo intacti. Mulierum eae, quae gravidae sunt, aut quae modo pepererunt, ad hunc morbum maxime proclives sunt. Omnes autem ii homines, qui semel perpessi sunt hoc malum, immunitatem quandam novae invasionis consequuntur. Vim alios morbos excludendi tussis convulsiva habet minimam, nec aliis morbis ipsa removetur: complicatur enim, ut vidimus, cum pleuritide, pneumonia, meningitide aliisque morbis, potestque adeo cooriri, quamvis tuberculosi, morbillis etc. infantes jamjam aegrotent. Praeter hanc dispositionem generalem videmus etiam in organorum respiratoriorum irritabilitate, quae morbis praegressis (pneumonia, angina membranacea) significatur, novam nostri mali specialemque caussam positam esse.

Age vero nunc mecum efficientes considera caussas, inter quas miasma quoddam invenimus per universum aerem divulgatum, quod ipsum aeriforme praesertim tempore humido frigidoque et variabili nasci videtur. Itaque modo epidemio propagari solet pertussis, quamvis exemplis sporadicis historia morbi non careat, quae leviorem decursum habere videntur quam epidemia. Ut in epidemiis plerumque accidit, alia aliam exhibet speciem complicaturque alio morbo;

at vero omnibus catarrhus est basis, in qua cetera phaenomena quasi construuntur. Oriuntur epidemiae aestate non minus quam hieme, in regionibus septentrionalibus non magis quam in meridionalibus; propagantur et in latas regiones terrasque et in parvis definitisque locis includuntur, ut vel solas singulas domos ingrediantur. Gignitur autem tussi convulsiva contagium, omnibus fere telae mucosae morbis proprium, in quo vera celeris divulgationis quaerenda est caussa. Nec directo solum contactu, verum etiam vestibus, lecto, vasis transfertur hoc contagium in alios, ut de alia natura quam de aeriformi vix cogitandum sit. Incubationis autem tempus diem octavum non excedit.

V. DIAGNOSIS.

Fieri vix potest, ut cum aliis noster morbus permutetur. Etenim epidemia vulgaris, mucus ille peculiaris tenax et copiosus, aetas infantilis, symptomatum pertinacia, ipsa denique tussis inspirationis clangore insignis vel imperitos de natura mali docere possunt. Est paroxysmis similitudo cum spasmo glottidis; immo sunt illi ferme idem malum, sed alia caussa provocati. Quae caussa quando etiam per intervalla eadem manet atque catarrhus exacerbationes multo frequentiores efficit quam vera neurosis, praesertim autem quum tussis desit (laryngis enim membrana et ligamenta arytaenoidea sunt intacta),

neque raucitas illa vocis inveniatur, ab asthmate laryngeo diagnosis non est difficilis. Quod ad anginam attinet membranaceam, ea quidem inspirationis eundem offert modum clamore stridulo et perlongo insignem, desunt vero intervalla libera et accedunt generatio morbi repentina, nullo praecedente catarrho, plurimae molestiae aliae fauciumque intumescentia. Jam vero mulierum hystericarum, si bronchitide laborant, tussis nonnunquam convulsiva esse videtur, quae sane ab ipsa pertussi distingui nequit, nec vero operae pretium sit hoc conari, quoniam illa nihil nisi pertussis est gradus minor.

VI. PROGNOSIS.

Paroxysmi ipsi, licet permagnum parentium timorum commovere soleant, etenim eos exspectant infantes facie mortis signis turbata, ut adspectus iis, qui adsunt, sit tristissimus, tamen plerumque sine ullo damno decurrunt rarissimeque usu venit, ut per ipsius exacerbationis effectum infantes dyspnoea pereat, aut apoplexia sanguinea moriantur.

Quod ad morbum spectat universum, ipsa aetas est summo momento, quia quo minores natu infantes, eo angustiores sunt bronchi, quare tracheae obstructio atque atelectasis hoc tempore facillime accedit mortemque affert. Neque tamen hac una complicatione augetur morbi ceteroquin non adeo periculosi vis et terror, nam unaquaeque earum per-

gravis est ad mortem accelerandam. Omnium tamen nulla tam terribilis est quam eclampsia non raro ex ipso paroxysmo proficiscens, aut hydrocephalus acutus, utraque enim complicatio prognosin reddit letalem.

Ubi complicationes desunt, corporis constitutio magni est momenti; validiores infantes servantur, quum dispositio scrophulosa, phthisica, rhachitica verisimilitudinem sanationis exiguam secum fert. Plurimum autem valet cura ipsa, quae si est neglecta aut non apta, vita facillime in discrimen vocatur, praecipue morbo diuturno, cui non subjicitur, si cura adhibetur ratione et consilio directa. Nominantur autem symptomata mali ominis fere haec: febris in stadio secundo accedens, quippe quae complicationem minetur; intervalla aliis molestiis perturbata, namque hoc modo vires infantium celerius discutiuntur; porro quo crebriores paroxysmi, eo majus periculum, cui sententiae eadem caussa est quam modo allatae; omnia denique morbi residua sunt timenda. Boni sunt ominis somnus tranquillus, modica expectoratio, intervalla libera, vomitus post insultum, epistaxis. Habet quoque natura ipsius tussis suam vim in prognosi statuenda, etenim si sonus inspirationem comitans est acutus, subraucus, stridulus; si tussis spatium est protractum, tum morbum et vehementum et periculosissimum judicabimus.

VII. THERAPIA.

Cura ipsa nobis monstrare potest, quanti sit momenti, naturam morbi recte dijudicare, nec in simplice catarrho neurosin ponere. Quum enim alii patientiam aegrorum fatigent omnibus remediis nervinis, donec vires exhauriantur morbo in infinitum protracto, quumque remediorum specificorum turba ad valetudinem turbandam non possit non valere: nostra therapia et simplicitatis et utilitatis habebit virtutem, quae contra ipsum catarrhum directa, ubi malum princeps domuerit, paroxysmos tollet. Neque tamen abhorrebimus ab omni cura nervorum ipsorum; sed symptomatice potius hyperaesthesiae rationem habebimus, quia hac in indicatione veram salutem positam putamus; nec sic progrediendum est, ut remediis utamur, quae sub specie exaltationi nervosae medendi catarrhum exacerbant, velut balnea frigida.

Indicatio caussalis duas videtur persequi debere rationes: primum scilicet miasma est delendum, aut contagium, quo in epidemiis morbus propagatur, cui quidem rei impares sumus. Deinde totius corporis irritabilitas, qua ad actiones reflexus nervosi proclivius fit, minuenda et deprimenda. Etenim si videmus infantes magis quam adultos, convalescentes magis quam sanos, debiles et imbecillos magis quam validos et vegetos huic morbo obnoxios esse,

catarrhum concludere licet in firmo organismo ita degenerare non posse, ut tales exacerbationes efficiat, nervosque adeo tanto sensibiliores esse, quanto homines infirmiores. Tum vero fore sperabimus, ut corpore firmato sensibilitatem imminuamus, veram caussam tussis convulsivae tollentes, eamque ad simplicis catarrhi formam reducentes. Hanc igitur indicationem sequentes iis remediis utemur, quae plurimum valent ad omnem organismum confirmandum et corroborandum. Quorum omnium ipse victus quotidianus praeceptaque diaetetica sunt optima. Ordinabimus itaque cibos bene nutrientes et vinum; addemus amarulenta remedia certissima (cujus generis est lichen Islandicus, china), aut sanguifera. Haec autem indicatio saepe multo serius expletur, si infantes ab hoste crudeli defatigati non jam habent vim resistendi, neque vires sufficiunt ad utilitatem remediorum percipiendam. Quoniam vero morbus eo est periculosior, quod nervorum exstat nimia exaltatio, indicatio caussalis nervina quoque remedia flagitat, quae nimiam nervorum sensibilitatem mitigent. Commendata sunt arg. nitr., cupr. sulph., zinc. oxyd., alia, quorum unicuique per quoddam tempus fides maxima habita est. Diutissime etiam floruit coccionella, cujus principium efficax nondum notum est. (Veri est simile, non coccionellam effectus habuisse, sed cali carbonicum, cum illa conjunctum). Formula est:

Cocc. gr. x inf.,
Aq. bull. ℥vj,
Sacch. alb. ℥β;
omni bihorio cochlear parvum.

Aut:

Cocc.,
Liq. amm. caust. āā ℥β,
Spir. rectifictss. ℥viij;
item.

Praeter hanc curam generalem utilia sunt ea remedia, quae in ipsam morbi sedem directa nervorum comminuunt sensibilitatem: nervi vagi dico decursum. Praecipiuntur inspirationes balsamicae. Alia quoque irritamenta removenda sunt, uti vermes in tractu intestinali exstantes.

Indicatio morbi. Etiamsi hoc modo propositum nostrum prospere eveniat, relinquitur tamen nobis curandus ipse catarrhus diu protractus, contra quem haud ignota et certa remedia adhibemus. Plurimum habet successum diaphoresis universalis, quamobrem temperaturam modice calidam atque aequabilem proferas ipsumque sudorum infuso flor. til. aut sambuc., spiritu Mindereri calidisque pediluviis ac pulvere Doweri excites. Qui corpus linteis madidis circumdandum censuerunt, non sudorem tantum provocari volunt, sed etiam totius cutis sensibilitatem valde deminui. Sanguinis depletiones sunt plerumque noxiae, ut in omni febri catarrhali, quippe vires

aegrorum nulla caussa idonea debilitantur. Antimonialia autem perquam apta sunt atque utilissima, ut mixt. solv. stib., plurimumque proficiunt parvae ipecacuanhae doses. Cujus remedii triplex est effectus: 1. valet ad mucum expectorandum, 2. in nervum vagum ejusque regiones vim exserit propriam, 3. ad mitigandas modo convulsiones nauseosorum est idoneum. Formula est:

Ipecac. gr. iij,
Sulph. aur. ant. gr. j,
Pulv. gumm. gr. xij;
pulv. x, omni bihorio pulv. j.

Tali modo catarrho mederi quam celerrime continget; neque enim, ut olim vulgaris erat sententia, certo tempore opus est ad sanationem assequendam, sed cura idonea morbi decursum semper leviorem reddere potest. At quae specifica morbi appellantur remedia, ea ex sententia nostra valere nihil possunt, quamvis non mirandum sit, nonnulla remedia nomen specificorum nacta esse. Quia enim pertussis ratione epidemia propagatur, unaquaeque autem epidemia suam habet naturam et proprietatem, facile intelligitur, modo unum, modo alterum remedium non sine proventu adhibitum esse famamque remedii universalis nactum esse. Etenim in cunctis epidemiis, in quibus eundem morbum persaepe observandi remediaque contra eum usurpandi fit occasio, quaedam remedia assequuntur gloriam,

quam non merentur. Neque hic praetermittendum est, quo tempore medici certam de experimentis opinionem sibi comparaverint, eo epidemias plerumque in stadium decrementi transiisse, ut non tam remediis quam ipsa natura revalescentia effecta videatur. Ea porro specifica, quae sunt nervina, nobis plane negligenda, si adversus morbum ipsum diriguntur.

Vaccinatio autem multum profuisse dicitur a gravissimis auctoribus, quocirca in casibus protractis haec cura est tentanda, quae haud scio an ratione derivatoria in catarrhum multum proficiat. Nunquam tamen inunctio tart. stib. (Autenrieth) suadenda videtur, quae certe infantes jam dudum vexatos plus turbat quam juvat. Revulsivis enim si opus est (id quod plane negamus), habemus, quae minus sint dolorosa.

Indicatio symptomatica. Restant mitigandi paroxysmi, si modum excedunt, aut frequentiores sunt, quam infantium vires perpeti possunt. Niemeyer summo jure optimam salutem in spontanea singulorum insultuum retentione positam putat. Nam quum unusquisque paroxysmus non sine vi recentem aerem per bronchos ducat et quaeque recens inspiratio insolitam aeris frigidi quantitatem per hanc viam dirigat, semper idem efficitur, quod muco incitamentum ad expectorandum suppeditante, ut alter insultus alterum producat. Quam difficile autem sit

infantes ad tussim supprimendam cogere, facilius perspicies, si cogitaveris, quam multi phthisici prius moriantur quam necesse est, quia nimis indulgent irritamento, aut malis suis misericordiam sibi comparare tussisque quasi magistri esse volunt.

Remediorum e numero adhibentur optimo cum eventu narcotica; sed cavendum, ne sine caussa impendantur. Commendata sunt extr. lact. viros., tinct. op., aq. laurocer., potissimum autem belladonnae usus (pro dosi gr. $^1/_8$) usque ad effectum narcoticum protrahendus, quod quidem periculosius nobis videtur. Quamobrem anteferenda praeparata carbonica (e. gr. aqua Selterana, aqua sodata), quae mucum resolvunt, tussim mitigant, irritationem deminuunt.

Indicatio prophylactica. Haec eo spectat, ut ne contagium divulgetur, id quod difficillime prohibendum. Sejungendi sunt in familiis aegroti infantes a sanis et circumdandi aere modice calido atque puro; si epidemia erupit, ne levissimus quidem negligendus est catarrhus. Mortuorum autem vestes, lecti, alia, quae contagium continent, deleri debent.

Morbi secundarii lege artis sunt sanandi, imprimisque per convalescentiam infantes attente curandi atque corroborandi.

VITA.

Natus sum Albertus Spiro, fidei veteri addictus, Parthenopoli, provinciae Saxoniae oppido, die IV mensis Januarii anni h. s. XXXVIII patre Salomone, matre Fanny e gente Weigersheim, quorum amore etiamnunc frui licet quosque summa semper prosequendos pietate a prima aetate mihi proposui. Iidem me menses tres natum Berolinum transtulerunt, ubi ipsi novum domicilium collocarunt. Ibidem primum adii scholam privatam Dierschianam, tum in schola viri optimi et summopere de me meriti Horwitz, qui etiamnunc eodem munere fungitur, elementis litterarum imbutus sum. Deinde in gymnasium regium Joachimicum receptus sum, quod tunc Ill. Meineke directore florebat. Id per annos sex frequentavi, donec anno h. s. LV testimonio maturitatis academicae instructus numero civium almae litterarum universitatis Fridericae Guilelmae ab Ill. Mitscherlich, rectore magnifico, adscriptus sum. Nomen professus apud Beat. Busch, gratiosi medicorum ordinis decanum spectatissimum, disserentes audivi:

Ill. Magnus de physice;
Ill. Mitscherlich de chemia;
Ill. Braun de botanice;
Ill. Rose de mineralogia;
Beat. Lichtenstein de zoologia;

Beat. Mueller de anatomia theoretica et de physiologia;
Cel. Michelet de logice;
Ill. Trendelenburg de psychologia;
Ill. E. Mitscherlich de materia medica;
Exp. Henoch de pathologia et therapia;
Cel. Traube de auscultatione et percussione;
Exp. Billroth de chirurgia;
Ill. Virchow de pathologia generali et de anatomia pathologica;
Ill. Langenbeck de aciurgia;
Exp. Ebert de arte obstetricia;
Ill. Casper de medicina forensi.

Praeterea artem cadavera rite secandi Beat. Mueller et Beat. Schlemm me docuerunt. Microscopio Ill. Virchow anatomiam pathologicam mihi demonstravit. Scholis denique clinicis interfui medicis Ill. Romberg et Cel. Traube, chirurgicis Ill. Langenbeck, obstetriciis et gynaecologicis Ill. Martin, morborum syphiliticorum et cutaneorum Cel. de Baerensprung, morborum infantilium Exp. Ebert.

Quibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas, animo gratissimo semper servaturus eorum memoriam.

Jam tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis fore spero, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Pertussis non est neurosis.
2. Arte obstetricia rectissime praecipitur, dubiis in casibus matrem, non foetum servandum esse.
3. Labii leporini operatio quo prius, eo cum majore successus spe fit.
4. Nulla medico cura sine aegrotorum fide prospere cedit.
5. Venaesectio in pneumonia non quia, sed quamquam hic morbus adest, nonnunquam institui debet.
6. In parturientium eclampsia partus praematurus artificialis indicatur.